



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacrosancto Missæ Sacrificio Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XIX. Argumentum. De Sacrificiis, tum Isaaci, tum Jacobi ejus filii. De cæcitate ejusdem Isaaci Patriarchæ; de Primogenituræ privilegiis, & an intercesserit Simonia, in cessione ejus facta ab ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94659)

prum est: Qui natus ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo natus fuit Joan. 1. 13.

Decimo tertio. Regnavit Melchisedech in Salem, quæ creditur fuisse Jerusalem, vocata Domina gentium, Princeps provinciarum, gaudium universæ terræ. Thren. 1. 1. Et Christus Dominus regnaturus est in æternum in cœlesti Jerusalem, quam videns Joannes in spiritu, de ea dixit: *Vidi Civitatem sanctam Jerusalem novam, descendantem de Cœlo à Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo. Et audivi vocem magnam de Throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Apoc. cap. 21. Vers. 2.

Decimo quarto. Sacerdotium Melchisedech fuit excellentius Sacerdotio Aaronis, ut deducit idem Apostolus in cit. cap. 7. ad Hebr. & docent omnes Theologi. Idcirco præcipue in hoc Christus Dominus assimilator Melchisedech, & dicitur Sacerdos secundum ejus ordinem, quia Sacerdotium Christi, & Sacrificium, quod reliquit in sua Ecclesia, est excellentius, atque præstantius Aaronico Sacerdotio in dignitate, sanctitate, & fructu; ut plenissime probant tres Eminentiss. Theologi Purpurati, videlicet Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 6. per totum. De Lugo in tract. de Incarnat. disp. 29. num. 40. & de Lauræa eod. tract. disp. 22. art. 4. quibus merito est addendum Collegium Salmanticense in d. tom. 10. de Incarnatione disp. 31. dub. 2.

Sed dicit aliquis etiam in Sacrificiis Aaronicis litabatur Panis, & Vinum; Ergo etiam Sacerdotium Christi potest dici Sacerdotium secundum ordinem Aaronis. Respondetur primò cum eodem Eminent. Bellarmino d. lib. 1. de Missa cap. 6. in resp. ad arg. quantum; Quòd in Sacrificiis Aaronicis offerebatur quidem aliquando panis, & vinum; sed non de per se principaliter; at simul cum vitulis, agnis, aliisque hostiis; neque erat purus panis; sed ut plurimum aspersus oleo, ex quo fiebant lagana, ut legitur in Exod. cap. 29. & in Levit. cap. 7. Porro Melchisedech obtulit in sacrificium Panem, & Vinum purum; & sic perfecte figuravit Sacrosanctum Missæ Sacrificium, sub speciebus panis, & vini à Christo Domino institutum.

Respondetur secundo cum Collegio Salmanticen. d. disp. 32. num. 31. in fine, quòd Sacerdotes Levitici offerebant panem separatim à vino; non autem panem, & vinum simul, sicut obtulit Melchisedech; unde non potuit representari Sacrificium Eucharisticum per Sacrificia Aaronica, seu Levitica, prout fuit representatum in Liturgia peracta ab eodem Melchisedech.

DECISIO XIX.

ARGUMENTUM.

De Sacrificiis, tum Isaaci, tum Jacobi ejus filii. De cæcitate ejusdem Isaaci Patriarchæ; de Primogenituræ privilegiis, & an intercesserit Simonia, in cessione ejus facta ab Esau Jacobo? Quando liceat redimere vexationem in beneficiis, & electionibus absque simonia? Et utrum Esau sit damnatus?

Doct. Clericæ Tom. I. Liber. III.

SUMMARIUM.

- 1 Isaac obtulit Sacrificium Deo in Bersabee.
- 2 Isaac quot annis fuerit cæcus?
- 3 Cæcitas oculorum pœnossima infirmitas.
- 4 Isaac cæcitatem mentis passus, volens benedicere Esau.
- 5 Spirituales viri sæpe ignorant Dei voluntatem in rebus dubiis: quam humiliores attingunt.
- 6 Prælati in rebus arduis debent consulere suos ministros etsi humiles; & eorum consilium sequi.
- 7 Isaaci annorum, atque vitæ compendium.
- 8 Esau qua die vendiderit Primogenituram fratri suo Jacob?
- 9 Lenticula quare dentur in cibo in commemoratione omnium Defunctorum?
- 10 Jacobi Patriarchæ Sacrificia plura.
- 11 Primogenitura Hebræorum Privilegio octo.
- 12 Siclus, nummus Hebræicus, cujus figura, & valoris esset?
- 13 Jacob an dixerit mendacium, asserendo, esse Esau, ut haberet paternam benedictionem?
- 14 Esau vendendo Primogenituram, cui erat annexum Sacerdotium, an commiserit simoniam?
- 15 Rebecca à Deo revelatum, Primogenituram dandam Jacobo filio suo, non autem Esau.
- 16 Vexationem redimere in beneficiis, & electionibus quando non sit simonia?
- 17 Esau tria peccata commisit, vendendo Primogenituram.
- 18 Esau utrum sit salvus, vel damnatus?

Sequitur ut breviter videamus de Sacrificiis tum Isaaci, tum Jacobi ejus filii; uterque enim functus esse Mystarum officio, & pluries sacrificasse Domino in illa lege naturæ constat propriæ devotionis impulsu, atque ex instructione, exemplo majorum suorum.

Isaac obtulisse Sacrificium in Bersabee testatur Scriptura Sacra Genes. cap. 26. Vers. 24. & 25. ibi enim recepit à Domino sibi apparente novam promissionem de semine suo propagando, ac benedicendo, idcirco ipse Isaac *Edificavit ibi Altare, & invocato nomine Domini litavit Hostias*, ut notat Emin. Card. de Lauræa in tractat. de Incarnatione disp. 29. n. 37.

Hic autem de Patriarcha Isaaco duo sunt breviter observanda; ejus caligo oculorum; ejusque vitæ, & annorum cursus. Quo ad oculos, ait textus Sacer: *Senuit autem Isaac, & caligaverunt oculi ejus, & videre non poterat.* Genes. cap. 27. Vers. 1. contraxerat enim cæcitatem, quam patienter sustinuit annis quadraginta quatuor; siquidem ea affligebatur anno, quo impertivit benedictionem filiis suis Jacob, & Esau; qui quidem annus erat trigessimus septimus supra centesimum ætatis suæ, ut firmant Cornel. à Lapide ad d. cap. 27. vers. 1. Torniciell. ad Annum Mundi 2276. num. 1. & Salian. ad eundem annum num. 1. Complevit autem idem Isaac annos centum octoginta; adeo ut ab anno 136. inclusive usque ad annum 180. decurrerint anni 44. in quibus usura lucis, oculisque caruit. Non mediocris fuit tanti Viri patientia; est enim inter alias corporis infirmitates pœnossima cæcitas oculorum, ut scribit Fagnanus (quem eadem infirmitate laborantem Romæ ego visitavi Año 1667.) in cap. Cum percussio n. 14. De Clerico egrotan. tom. 4. pag. 19. Hinc de Didymo, qui octoginta annos cæcus fuit, & totam Scripturam Sacram memoriter retinebat, & à S. Hieronymo ob summam rerum

cælestium intelligentiam vocabatur *Videns*, fertur, quod interrogatus à S. Antonio, an patienter suam cæcitatem toleraret? negativè respondit, ut in *Vitis Patrum Part. 2. §. 205.* undè à prædicto Sancto fuit leniter reprehensus, quod tristaretur de damno rei illius, quæ & formicæ, & pulices carebant.

Porro de cæcitate corporis transeamus ad illam intellectus, quam passus fuit ipsemet Sanctus Patriarcha Isaac, volens suam benedictionem impertiri filio Esau, ignorans contrariam esse Dei voluntatem; quæ benedictio decreta erat, & præordinata ad favorem filii Jacobi, quod mirum est considerare; virum scilicet adeo spirituales & intimum Deo, in tenebris ambulasse in re tanti momenti, neque scivisse scrutari, & videre beneplacitum Divinum; quod rectè cognovit Mater Jacobi Rebecca; cujus suasionibus, & industria filius Jacob benedictionem obtinuit, causam refert Cornel. à Lapide in *Genes. cap. 27. vers. 19.* his verbis; *Disce hic quod Deus subinde justos sine aliquantulum ignorare, falli, cadere, & decipi; ut se agnoscant. Sic Isaac Sanctus putavit benedictionem Dei in Esau implendam esse, sed fallabatur. Secundo quod Deus aliquando parvulis revelat, quæ magnis abscondit: sic Rebecca revelatur, quod Isaac ignorabat. Plura possent exempla referri circa hanc spirituales hominum cæcitatem, etiam sanctitate, ac dignitate sublimium; quæ brevitatis causa omisso; satis esse credens, quod ego in praxi observavi, Sanctos Viros, ac etiam pios Antistites eximie bonitatis, & excellenti orationis, non præbentes ministris suis aures, sed propriam voluntatem sequutos, in rebus arduis deceptus non semel fuisse; & malum exitum certaminum ostendisse, eos non secundum divinam voluntatem operatos esse; quapropter jure optimo; Prælatos Ecclesiasticos scrutari debere in rebus ambiguis consilium ministrorum suorum, etiam humilium, illudque sequi docet eruditè calamus Jo. Pauli Olivar. in *Concionibus Sacri Palatii part. 1. conc. 32.* ubi plurima digna scita.*

Quò verò ad cursum vitæ Isaac hæc est summa annorum ejus. Prævia Dei promissione de eo facta Abraham, conceptus fuit à Sara Anno Mundi 2138. & natus est Anno 2139. Ablactatus fuit à Matre sua cum esset quinquennis. Sacrificandus ductus fuit à Patre ad montem, cum esset ipse Isaac in ætate annorum viginti quinque. Quadragenarius duxit Rebecca in uxorem; quæ sterilitatem passa est viginti continuis annos. Pro illa oravit Isaac, & exauditus est, itaut Rebecca conceperit gemellos factus Esau, & Jacob Anno Mundi 2198. & anno sequenti 2199. nati sunt prædicto Isaac idem filii duo, & tunc Isaac erat sexagenarius. Educavit filios suos, qui attingebant annum septuagesimum octavum; quando eorum pater Isaac deliberavit impertiri benedictionem suam; sed ejus oculi caligaverant, erat enim in ætate annorum 137. Post datam Jacobo, & Esau benedictionem vixit Isaac alios annos 43. & exactis centum octoginta vitæ suæ annis mortuus est, atque sepultus in spelunca, ubi jacebant ossa Abraham, & Saræ genitorum ejus, Commoratus est vivens Isaac cum Avais suis Semo, & Sale annis decem, & octo: cum Patre suo Abrahamo annis 75. Ipso vivente nati sunt omnes filii Jacob, nepotes ejus, ac etiam pronepotes ex Josepho, qui tunc erat Pro-Rex Egypti, ignotus tamen & Patri, & Avo, à quibus credebatur à fera occisus;

ut exactè tradunt Torniell. & Salian. ad *ad. Annos Mundi.*

Sed nec illud ignorandum, quòd quæ die mortuus est Abraham, reversus de agro Esau lassus vendidit fratri suo Jacobo primogenituram pro edulio lentis, ut legitur *Genes. cap. 25. 30.* Hinc mos invaluit apud Hebræos, ut in die mortis patrisfamilias, & in die exequiarum, præparentur lenticulæ in cibum, ut notat Ponticell. in *Genes. d. cap. 25. Reflex. 81.* Quod servatur à Regularibus, & aliis facientibus elemosynam in die Commemorationis omnium Defunctorum.

Quò verò ad Liturgias Patriarchæ Jacob, filii ejusdem Isaac; plura reperiuntur sacrificia ab ipso facta. Primum in monte Galaad pro pace inter ipsum, & Socerum suum Laban composita, de quo in *Genes. cap. 31. vers. 54.* Secundum propè Sichem pro benevolentia cum fratre Esau, dum rediret à Mesopotamia. *Genes. cap. 33. vers. 20.* Tertium in Bethel ex eadem causa. *Genes. cap. 35. vers. 14.* Et Quartum ad piteum juramenti, cum audiret Filium suum Joseph, quem credebatur devoratum à feris, adhuc vivere; & felicem, atque potentem esse in Egypto.

Cæterum frequenter sacrificasse Jacobum, ultra prædictas vices, credendum est; cum vir pius, & religiosus esset, & sacerdotium ad ipsum spectaret, tum vigore benedictionis Paternæ sibi impertitæ ex industria & suasionibus Rebeckæ Matris suæ, ut narratur in *Genes. cap. 27.* tum ex Primogenitura sibi vendita à fratre suo Esau ut legitur in *eod. libr. Genes. cap. 25. vers. 32.* cujus quidem Primogenituræ octo erant Privilegia; nam. I. Sacerdotali officio, ac dignitate Primogeniti fungebantur, ut probavimus supra *Decis. VII. num. 10.* II. Antecedebant alios fratres in mensa, & lautius tractabantur, quod notatur in *Genes. cap. 43. in fine.* III. Benedicebant alios fratres genuflexos coram se; juxta illud, quod enunciaverat Isaac ipsi Jacobo, in benedictione ei data: *Et incurventur coram testibus Matris tue. Genes. cap. 27. vers. 29.* IV. Primogeniti veste pretiosiore in festivitatis, & actionibus publicis utebantur; Unde Rebecca induit Jacobum *Vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat. Genes. cap. 27. vers. 15.* V. Exercebant dominium quoddam in fratres, quasi Principes eorum: idcirco adjunxerat Isaac in benedictione ad eundem Jacobum, quem credebatur Primogenitum, *Genes. d. cap. vers. 29. Et vers. 37.* Esau ejulanti dixit: *Dominum tuum illum constituit; & omnes fratres ejus servituri illius subjugavi.* VI. Primogeniti duplices partes hæreditatis paternæ consequabantur, ut habetur in *Deuteronom. cap. 21. vers. 17.* Ponticell. in *Genes. d. Reflex. 81.* VII. Speciali ratione ad Deum pertinebant, cum propterea offerebantur; & redimebantur quinque Siclis, ut præceptum erat in *libr. Numer. cap. 3. vers. 47.* Hic autem notare liceat ex Pignarell. *tom. 9. Consult. 3. num. 87.* quòd in Siclis Hebræorum ab una parte erat impressa imago Urnæ, in qua Manna fuit recondita, cum hac inscriptione: *Siclus Israel.* In altera vero Virga Aaronis florens cum hac Epigraphe *Jerusalem Sancta.* Valor autem Sicli erat medietatis unitus Imperialis. VIII. Benedicebantur à Patre, ejus mortis tempore instanti; propter quod Isaac jussit Esau tanquam filio suo primogenito sibi prandium parari; subdens: *Ut benedicat tibi anima mea antequam moriar. Genes. d. cap. 27. vers. 4.* Et

Et de his privilegiis differunt Salian. ad Annum Mundi 2223. num. 3. Abulens. Pererius, & Cornel. à Lipid. in *Genes. cap. 25.* nec non Canonistæ, atque Juristæ Glossi. in *cap. Quam periculosum in verb. Primatus 7. g. 1.* & ibi: Card. Archid. Alex. & alii. Hostien. Joan. Andr. & Abbas in *cap. Licet. De voto. Tiraquellus in tract. de Primogen. in Prefat. n. 17. & 18.* ac etiam Baldus in *l. Cum antiquioribus. vol. 4. vers. Ado quæritur. C. de Jure deliberan.*

Duo autem dubia agitant Scripturistæ de Patriarcha Jacobo. **13** Unum est, an reus fuerit mendacii, dum rapturus paternam benedictionem, Patri suo interroganti, quis esset? Respondit: *Ego sum primogenitus tuus Esau: feci, sicut præcepisti mihi; surge, sede, & comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua. Genes. cap. 27. vers. 19.* Ipse enim neque Esau erat, neque venatum iverat. Salian. ad Annum Mundi 2276. num. 7. allegat plures à Sanctis Patribus; quos etiam congerit Pererius in *d. cap. 27.* asserentes inexcusabilem esse Jacobum à mendacio. Cæterum tenenda est opinio S. Augustini in *libr. contra mandac. cap. 10.* ubi ostendit, mendacem non fuisse Jacobum: cum enim ejus pater de his egisset cum Esau tanquam cum Primogenito, merito potuit Jacob, cui jure divino, & humano Primogenita debebantur, eadem sibi applicare; & verè dicere, *Ego sum Esau primogenitus tuus:* non personaliter, sed virtualiter ex divina dispensatione: quemadmodum Salvator vocavit Baptistam Eliam. *Matth. cap. 11. vers. 14.* idest, ut exponit S. Gregorius non in persona, sed in spiritu, & virtute. Venatum quoque fuisse poterat asserere per metaphoram: venatio enim verificatur non tam in leporibus, sed etiam in hædis, & piscibus, ut scribit Plinius *libr. 16. cap. 1.* quod profequitur Salian. ad Annum Mundi 2276. num. 8.

Alterum dubium est, An in emptione, & venditione respectivè facta per Jacobum, & Esau de Primogenitura, cui annexum erat Sacerdotium, peccaverint peccato Simonie? Et respondendum est negativè ob duas rationes. Prima est, quia Primogenitura de per se erat pretio æstimabilis ob privilegia, de quibus supra; idcirco respectu temporaliū commoditatum vendi poterat, etsi annexum haberet Sacerdotium, exemplo hereditatis, seu fundi cui annexum est Juspatronatus Ecclesiasticum; in cujus emptione, & venditione Simonia non committitur, ut DD. apud Tiraquell. de *Primog. quest. 29.* & Giballio. de *Simoniam quest. 1.* Consecr. 4. **15** Secunda ratio est, quòd Jacob erat jam electus à Deo ad Primogenituram; qua privatus Esau remanserat juxta illud *Malach. cap. 1. vers. 3. Jacob dilexi, Esau autem odio habui;* idque Rebeckæ revelatum fuerat, ut notat Ponticell. in *Genes. d. cap. 27. Reflex. 81.* Idcirco licitè potuit Jacob ad redimendam vexationem, quam de facto ab Esau patiebatur, vel pati poterat, illum adigere per edulium lentis, **16** ad sibi Primogenita vendenda, & venditionem cum juramento firmandam; juxta opinionem Glossi. in *can. Quæstium. verb. Redemptione. l. 9. 3. & in can. Decimas. 3. 16. q. 6. & in cap. Dilectus 1. de Simonia. S. Thom. 2. 2. quest. 100. art. 4. ad 3. Cornel. à Lapide in *Genes. cap. 25. vers. 34.* Et novissimè Emin. Card. de Luca in *tract. de beneficiis disc. 70.* & Jacobi Pignatelli *tom. 10. Consult. 44. n. 56. & seqq.* à quibus doctè demonstratur, quando licitum sit redimere vexationem pecunia tum in electionibus, tum in consequitione beneficiorum.*

Doct. Clericus Tom. I. Liber. III.

Potèrò Esau tria peccata commississe observant Sancti Patres; scilicet peccatum *Gula;* non refrænando appetitum comedendi per breve spatium temporis. Peccatum *Prodigalitatis,* alienando Jus pretiosum ob vilissimum pulmentum. Et peccatum *Irreligiositatis,* flocci faciendo Jus Sacerdotii conjuncti suæ Primogenituræ. Ita S. August. de *Civit. Dei lib. 16. cap. 3.* S. Greg. *lib. 3. Moral. cap. 27.* & alii allegati à Lippomano in *Catena aur. ad Genes. cap. 25.* quibus addendus Cornelius à Lapide in *Genes. eod. cap. 25. vers. 31.* ubi subdit: *Peccavit Esau, quia prætulit ventrem virtutibus bonori, gulam Sacerdotio, & benedictioni.*

Utrum autem Esau damnatus sit, vel pœnitens obierit, & salutem æternam sit consequutus; Differit Menoch. in *Stor. Centur. 6. cap. 96.* ubi conjecturas colligit pro utraque opinione, desumpta ex Bonfretio super *Gen. cap. 36.* & ex Cornel. à Lapide in *Epist. ad Rom. cap. 9.* Quos curiosus Lector poterit percurrere.

DECISIO XX.

ARGUMENTUM.

De Sacrificiis patientissimi Jobi, & plura de ejus ortu, vita, atque tentationibus.

SUMMARIUM.

- 1 Job Sacerdos erat, & sæpè sacrificabat.
- 2 Jobi liber an sit vera Historia? vel Parabola? Rationes pro Parabola. ibi. Pro veritate Historiæ n. 3. resolvuntur contrariæ n. 4.
- 3 Jobi libri quis fuit Auctor, & Scriptor?
- 4 Job quis fuerit? ubi, & quando natus? quatuor opiniones.
- 5 Job quot annis vixerit?
- 6 Atlas, & Anni Thare, Abrahæ, Isaac, Jacob, Josephi, ejusque fratrum; nec non Moysis.
- 7 Job fuit agnatus Abrahæ, & de ejus parentela.
- 8 Job fuit Rex, & Sacerdos.
- 9 Hus patria Jobi ubi sita erat? Urbes duæ nominata hoc nomine Hus.
- 10 Hus una superior citra Jordanem. Alia Hus inferior prope Idumæam, in terra Edom.
- 11 Jobum regnasse in Hus superiori, prope Scagnum Genesareth verior opinio.
- 12 S. Francisci Seraphici iter per Terram Sanctam.
- 13 Job an fuerit dives? Et an ejus subditi idololatras?
- 14 Job quo Anno Mundi sit natus? Opiniones duæ & num. 17.
- 15 Jobi Pietas, ac Virtutes.
- 16 Bosorra Arabissa Uxor Jobi.
- 17 Jobi mala alia interna fuerunt in anima; alia externa in corpore.
- 18 Filii Dei, inter quos apparuit Satan tentaturus Job, qui fuerint?
- 19 Satana intentum desiderium videndi faciem Dei.
- 20 Jobi dolores, & infirmitates multiplices.
- 21 Pediculari morbo afflicti Philippus Rex Hispaniarum Secundus in sua ultima infirmitate.
- 22 Job annos trigintaquinque continuos sustulit in corpore suo multiplices dolores, ac ulcera.